quam preesse. Oportet ergo eum esse doctum lege
diuina. ut sciat et sit unde proferat noua et ue
tera. Castum. sobrium. misericordem. humilem.
et semper superexaltantem misericordiam iudicio. ut idem
ipse consequatur. Oderit uicia. diligat fratres.
In ipsa autem correptione prudenter agat. et
ne quid nimis. ne dum nimis cupit eradere
eruginem. frangatur uas. Suamque fragilitatem
semper suspectus sit. memineritque calamum
quassatum non conterendum. In quibus non dicimus
ut permittat nutriri uicia. sed prudenter et cum
caritate ea amputet. prout uiderit cuique expe
dire sicut iam diximus. et studeat plus amari
quam timeri. Non sit turbulentus et anxius. non
sit nimius et obstinatus. non sit zelotipus.
et nimis suspiciosus. quia numquam requiescit.
In ipsis imperiis suis sit prouidus et consideratus.
siue secundum deum. siue secundum seculum sint. Opera que
iniungit discernat et temperet. cogitans discre
tionem sancti iacob dicentis. Si greges meos plus
in ambulando fecero laborare. morientur.